



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Vsq[ue] ad mortem sibi immitis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

bat adeo placide, occulteque, vt nisi quis attente animum aduerteret, non sentiret. Nimirum fructus hi quoq; in extrema ætate, ac semiuiuo iam corpore existebant ex contracto iam sensibus integris, & confirmato vsu, vt pasceret animū semper magis, quam corpus. Inde etiam fiebat, vt omnia probaret, ac magnificaret: & quicquid esset appositum, vbi ritu suo per inediam esset refectus, subiungere ad extremum consuesset; Deo gratias, quam lautè vixi?

Ieiunium illi quotidianum videri poterat, tamē etiam tum singulari obedientia imperatis ab Ecclesia parebat ieiuniis, & aliquid afflictationis alterius superaddebat, inuisentes quoq; ad spirituale ieiunium inuitans: vixq; proxima suæ morti quatuor temporum ieiunia adduci à Confessario, ac Rectore potuit, ne se uere perageret. In huiusmodi enim rebus obedientiæ vnus permouebatur impulsu, nec nisi cunctanter. Flagellum etiam num occultissimè asseruabat: quod cū forte esset repertum, sublatumque, ægerrime id tulit: multumque, sed nequicquam institit orans, vt redderetur. Adeo afflictandi exterioris hominis vix iam spirantis in interiore perseuerabat impla-



*Et obedientia  
tenax.*

*Et summa hu-  
militatis, atq;  
leuitatis.*

cabilis vigor: vt coniectare procliue sit quemad-  
modum acceperit domesticum aduersarium va-  
lidum, ac robustum, qui nec prostrato quidem,  
& odiosa veteri Adam acciderent, egebat obedi-  
entia fræno, perinde vt calcaribus in arridentibus  
atq; blandis. Ad extremum vsq; habuit in ore, ni-  
hil à Præsidibus vnquam ex propriæ inclinatione  
voluntatis petendum. Id quod mirum ipse in mo-  
dum seruabat. Quod si quando quid velut neces-  
sitate adactus significaret, vtcunque caderet, ac-  
quiescebat in eorum, ad quos res attinebat nutu,  
nullo addito verbo, nullo erumpente indicio, vn-  
de suspicari liceret, non esse in omnes partes con-  
tentum. Perlucebant vbique recondita animo  
Christianæ humilitatis, ac submissionis decora,  
maximeq; in sermonis, ac vocis modo. Non mo-  
do imperiosior nulla, aut iactantior vox elabeba-  
tur vnquam ex ore illo sancto, sed identidem in-  
firmæ personabant preces, quibus ab infimo quo-  
que, si qua eos ratione offendisset, vt sibi ignosce-  
rent, obsecrabat. Miserabatur intimo sensu, qui  
suis malis aderant, socios; eosq; consolans aiebat,  
Fratres, ferte patienter; præmium, ac mercedem  
reddet